

corpus vel organa corporis, & vicissim cerebrum producit in anima perceptiones rerum sensibilium in organa sensoria agentium, ac proinde vis ex corpore in animam transiens, dirigit vim animæ & eam determinat ad percipiendam sensationem in organo sensorio productam, & vicissim anima dirigit fluidum nerveum in musculos, quorum actione motus in corpore perficitur, & sic determinat motus spontaneos, & voluntarios. Porro, ut anima hunc in corpore motum producat, necessum est vim quamdam animæ transire in corpus, eamque in vim *motricem* mutari: contra autem, dum corpus influit in animam, vis *motrix* corporis transit in animam, & in vim aliam transformatur; cum vis motrix soli materiæ competere possit. Hinc vis aliqua motrix quæ materiæ prius inhærebat perit, dum corpus agit in animam; dum vero anima agit in corpus, oritur vis motrix, quæ antea non erat, ac in illo systemate non conservatur in universo eadem virtutum *motricium* quantitas. Hoc est *influxus physici* systema, quod quidem non parum difficultatis habet; intelligi enim nequaquam potest quomodo anima physice agat in corpora, & vicissim.

Causæ occasionales dicuntur, quæ vi agendi propria destituuntur, agendi tamen occasionem præbent; hæ igitur causæ opponuntur causis physicis, quæ vi agendi propria instructæ sunt. Ita in systemate influxus physici corpus & anima sunt causæ physice, contra vero in systemate cau-